Podgurski Samuelis Joann: Florilegium rosarum inter spinas logicales seu Conclusiones ex Philosophia rationali.

JN NOMINE DOMINI, AMEN.

FLORILEGIUM ROSARVM,

inter Spinas Logicales,
Sub Auſpicijs immarceſcibilis ROSÆ
STASZEVIANÆ,
ad autumnales ferias vernantium;

SEV

CONCLUSIONES

EX PHILOSOPHIA RATIONALI, MENTI ANGELICI DOCTORIS CONFORMES,

Magno Nomini & Honori,
Perilluſtris, Clariſsimi & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. ADALBERTI ROSA STASZEWSKI,

Philoſoph: in Alma Vniverſitate Cracovien: Doctoris, Viriq; Togati, Eccleſiarum, Collegiatæ Viſlicien: DECANI, Parochialis Chroberſcen: Præpoſiti, Sac: Regiæ Maieſt: Secretarij, &c.

A

M. SAMUELE JOANNE PODGURSKI,
Ph: Doctore, in Collegio Minori Eloquentiæ, ac interea Curſûs Vladiſlaviano Philoſophici Profeſſore, Eccleſiæ Archipresbyteralis in Circulo Crac: Pœnitentiario Radyminſciano, S. R. M. S. Notario Apoſt.

DEDICATÆ,

ac ſub Præſidemtia ejuſdem,

A

STANISLAO GOLEIOWIC.
Artium & Philoſophiæ Baccalaureo,
in publica Diſputatione, ad propugnandum

SUSCEPTÆ.

Anno Floris Nazaræi, 1698. Die 16. Novembris, Horis pomeridianis.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA,
Perilluſtris & Adm̃ Rñdi Domini.



Cur ROSA STASZEVII gemino floreſcit amænè
Vultu? Nempe Polo, convenit atq; ſolo.
Et cur nec Boream metuit, nec frigora brumæ?
Phœbus Ei melior nam favet, atq; fovet.

PAVLVS GRABIANOWSKI Philoſ: Auditor.

PERILLVSTRIS, CLARISSIME, & ADMODVM REVERENDE DOMINE, D. Patrone, & Mecænas Amplissime.

NOn Laureas modò, sed etiam Rosas sibi perpetuò vernare,
inter solennia triumphi decora, Pallas Nostra recenset.
Propitium hoc melioris Phœbi beneficium nacta est;
quòd nec temporum tristissima nubila sudum,
nec Aquilonum furiæ suam deprædari valeant Hesperiam.
Vertumni temporis ridet varietatem,
ex Stagyræ edicto; *immarcescibiles seruans gratiarum Hortos.*
Et quidni hodie,
Novercantis brumæ prodromo in Chloridem sæviente,
Rosas ex Spinis Logicis collegerit?
Non intempestum, neq; intempestivum Florilegij tempus est,
Tuâ Gentilitiâ ROSA, ver perenne aperiente.
Nempe Illa
Priscæ Rosinorum Prosapiæ Solem habens verticalem,
ætates novit vincere, non æstates.
Dudum è Laurentia translata, varijs in Regnis Hospes,
Lechicis insita Campis, hactenus suum vigorem conservat.
Milesiis, Campanis, Græculis, Prænestinis Princeps antecellit;
nam eius murex Augustior, odor suavior, virtus efficacior, vivacitas indeficiens.
Hæc aras Divorum, & arenas ornat victorum.
Plures eâ ornati Heroes, Capitolium gloriæ occupârunt,
quàm olim Romæ Scipiones.
At Vir Clarissime
in Te collecta basilici Floris huius amænitas,
Omnium in se obtutus rapit & animos.
Tuâ modestiâ indulgente, sub rosa relinqvuntur Tui Rosini,
quia propriarum Virtutum ostro abundè fulges.
Imò grande Prædicabile Logicæ nostræ extas,
quòd Rosæ Virtutum Tuarum adæquato Elogio non possint prædicari.
Tanto nempe Generi probitatis vti supremo,
Nulla essentialis Laudis Definitio aptari valet.
In Arbore Ecclesiasticæ Hierarchiæ,
cùm non Athomæ speciei gaudeas gradu,
ad athomum Te humilitatis demittis.
Cùm maximè à multis Canonicæ vitæ exemplis differas;
nullam Tibi supra alios excellentiæ Differentiam vsurpas.
O quàm quarto modo Proprium habes
Apostolicam vitam imitari!
O quot impensæ profunduntur in decorem Domûs DEI!

Quot ostijs Nilus Christianæ Liberalitatis manat,
sine subiecti mutatione!
Quot apes ex hac R O S A mella colligunt sine eius iniuria?
Te principale Analogatum Attributionis, Iri colunt,
& semper vnivocam rationem dilectionis experiuntur.
Æquivocum etiam à Casu Tibi inesse sinceritatis candorem,
ex omnium sententia, defacto implicat.
Substantia Tua Vniversalis,
nam in vsus amicorum, Prælatis imitandos, communicabilis.
Cordis Cathegoria tam ampla est,
vt Deus ipse valeat in ea collocari.
Unde etiam Quantitas temporalium Discreta, Divinorum Continua.
Habitus Eliani pro honore Numinis & Ecclesiæ Zeli,
à subiecto mentis Tuæ difficilè, imò nunquam mobilis.
Passibilem Qualitatem super ærumnis proximi,
Sicut Formam vitæ Spiritualis, amplecteris.
Relationis Tuæ totum esse, est ad Christum se habere.
Eius Thaumaturgas actiones, simul cum Tragica Passione,
audientium animis infigis, Apostolicus Hortensius.
Reliqua porro virtutum Prædicamenta,
respectivè constituis ad proximorum Tuiq; salutem.
Ingenij verò capacitatem, quæ Diphtera notabit?
Non de secundo adjacente formabant Enuntiationem Platones nostri,
Theopompum Te exstitisse calcaribus non indigentem.
Salebrosi alijs Musarum Colles, Tibi Rosei;
Cùm nullam scientiam irrito conatu tractares.
Castalidum Entheus latex, & suadæ Divinioris nectar,
in R O S A M Tuam confluxêre.
Nunquam Siculides Craciæ suaviùs recreatæ sunt,
Quàm cùm novus Arpinas eloquij floribus,
Novum Tibur ipsis aperires.
Quot verba pro Rostris protulisti,
Tot nomina laudum, ad formandas de Te necessarias Propositiones, promeruisti.
In Divinis, humanisq; scientijs,
Sine vlla Oppositione Æquipollentiam nactus cum summis viris,
Non simplicem Conversionem ad sublimia quæq; fecisti.
Vnde ex Præmissis tantæ eruditionis,
Bonam fecit in Te Laurearum Illationem,
Coronatrix Eruditorum, Alma Nostra Universitas.
Philosophicis in exedris Togatus Chiron,
Quantam Demonstrationem ingenij feceris, Tui testantur Achilles.
Hos non medullis Leonum, sed Scientiarum & Virtutum nutrivisti.
Amica Regum Fascibus,
OSSOLINIORVM ASCIA,
Ingenij Tui Cote acutior, R O S A ornatior extitit.
MYSZKOVIORVM triumphali SOLEÆ,
In Olympijs & Panathenæis Minervæ, perennis vestigia gloriæ exprimenti,
Floridam, quia Roseam monstrâsti viam.
Et certè quantò augustior tantorum Aborigenum celsitudo,
tanto

tantò vberius pro informatis illorum Ascanijs,
Tibi gratiarum & honorum auctum est Mineruale.
Illustrissimi Marchionalis Prosapiæ Penates,
Hoc felicitatis suæ grande censebant documentum;
vt Te felicem redderent.
SOLEA eorum fulgentissima,
Expedito in publico sole, virtutum & honorum Curriculo,
In Poloniæ polo, versa in Cynthiam, ROSÆ Tuæ auxit influxus.
Verùm subsiste calame:
Stoicorum Principem audi.
Logicus cum sis,
Ingentem virtutum & laudum congeriem, brevibus absolue.
Scribe, illectum olim hâc ROSA Præsuleum OLOREM,
tanquam in Alcinoi horto recreatum fuisse.
Nota, purpureo Flori ab OBORSCIANIS LILIIS,
gemmeum gratiarum Candorem, abundè olim communicatum.
Observa, quomodo perspicacissimus sublimium speculator,
Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
IOANNIS de Małachowice,
MAŁACHOWSKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DUCIS SEVERIÆ Genius,
FASCIAM suam Gentilitiam offerat;
vt similes huic ROSÆ flores ad ornamentum Almæ Diœcesis,
in Fasces possit colligere & colligare.
Mirare, ornatam monilibus & Cymelijs Sponsam,
CHROBERSCENSEM ECCLESIAM:
SS. Indigetum Aras, & Divorum pulvinaria,
Principibus metallis fulgentia.
Specta, quomodo sublimes tholi,
Ecclesiæ Filialis S. BARBARÆ, iam olim collapsæ,
STASZEVIANAM attollant pietatem.
Quomodo ornati picturis parietes,
Non fucatos ROSÆ colores advivum repræsentant.
Gratulare Xenodochio CHROBERSCENSI, post resarcitas ruinas,
à ROSA pabulum, Medelam, & salutem.
Ausculta, vt fidelis Grex, solicitis curis custoditus,
Cælo vota nuncupat:
Vt Pastor Vigilantissimus vivat immortalis.
Ex adverso,
Horridis Averni è tesquis prorumpentes lupi vlulant;
quia vigilantia illius centum Argis oculatior,
nullam

nullam suæ orexi concedit prædam.

At vsitatum est obscænissimũ scarabæis noxiam esse rosam.

excellens illa sensibile est, etiam insensatis.

Ecclesia verò Collegiata Vislicensis,

Nonne centum gutturibus Organorum, resonat sui Prælati laudes?

Quoties illius ære comparatas exedras Canonicales,

Sacer Senatus occupat,

toties Ei, in animo suo, anathemata gratitudinis ponit.

Ita est PERILLVSTRIS DOMINE:

ROSÆ Tuæ odor, longè latèq; sparsus;

etiam nostras Musas mirificè recreavit.

TIBI Inclyta Domus Maior,

pro iure Patronatûs Decanalis Prælaturæ Vislicensis respectivè inscripto:

TIBI pupillæ NeoCorcinenses Camænæ,

ad perenne gratiarum Mnemosynon pro iugi subsidio obligantur.

Nostræ verò LOGICALES Spinæ, suæ sterilitatis consciæ,

dum sub Tuis Auspicijs ad Autumni rigores effloruerint;

totum ROSÆ Tuæ immarcescibili referent in acceptis.

Quam vt Diuinis favoribus & influxibus amplius irrigatam,

Cælestis Paradysi Cultor, diutissimè conservet,

apodicticum voti argumentum ponit.

Perillustris, Clarissimæ, & Admodùm

Reverendæ Dominationis,

addictissimus, humillimus Servus,

& coram Deo exorator.

M. S. I. P.

CONCLUSIONES
EX PHILOSOPHIA RATIONALI.
Ex Tractatu Prooemiali.

I.

ETsi iuxta Aquinatici Tripodis Oraculum 1ma. 2dæ. q. 63. Art. 1. relicta sint nobis quædam semina scientiarum in intellectu, sicut & in voluntate quædam semina virtutum, & consequenter detur Logica Naturalis, quæ est facultas seu habitus quidam intellectûs, quo quisquam homo etiam rudis secundum lumen Naturale potest de rebus ratiocinari, atq; sic aliquas veritates imperfectè cognoscere: tamen præter hanc ad perfectam rerum cognitionem omnino datur flos scientiarum Logica Artificialis, quæ est habitus seu facultas quædam labore & industriâ acquisita, dirigens intellectum ad optimum, hoc est verùm, quod fit sine errore definiendo, dividendo, argumentando, bonitatem Consequentiæ, & omnia, quæ ad Demonstrationem pertinent artificiosè cognoscendo.

Quæ quidem Logica Artificialis dupliciter considerari potest: vel ut Præceptiva, S: quæ nihil aliud est, quàm congeries omnium præceptorum Logicalium, taliter, ut illa non probentur in Logica Artificiali: vel eadem Logica consideratur vt scientia, & est illa quæ non solùm docet & tradit præcepta, verùm etiam probat, & ab Argumentis oppositis defendit.

Unde utroq; modo sumpta est necessaria simpliciter ad alias scientias tam in statu perfecto quàm etiam imperfecto acceptas: quia sine illa nulla Scientia potest scientificè, hoc est Demonstrative procedere: Adeoq; bene dicitur prior alijs scientijs prioritate acquisitionis & generationis.

II.

DIviditur autem Logica Artificialis in Docentem & vtentem. Quia datur Logica, quæ contemplatur Naturam Entis Rationis in Communi & Particulari, S: quæ docet definitionem, divisionem, Argumentationem. Et deinde datur Logica, quæ Nos instruit vti talibus Entibus Rationis, hoc est definitionibus, &c.

Porro hæc Divisio Logicæ non est Superioris in inferiora, neq; totius in partes: quia Docens & vtens non sunt partes, neq; inferiora contrahentia Rationem Communem Logicæ: sed ipsa Ratio essentialis Logicæ hæc duo intrinsecè dicit; S: & quòd sit habitus informans intellectum mediante cognitione præceptorum, & quod sit concurrens cum eodem intellectu ad Actuale exercitium eorundem.

Et quidem Logica sic dividitur non solùm quo ad partem Topicam & Sophisticam, sed etiam Analyticam. Quia in omnibus his reperiuntur doctrina & vsus.

Hinc Logica vtens habet vsum etiam in alijs scientijs respectu partis Topicæ, Sophisticæ, quoad Materiam & formam, respectu verò partis Demonstrativæ quoad Formam: Activè tamen Physicè concurrit in omnibus ad formationem Syllogismorum qnia hæc forma vt talis, iuxta suas regulas est tantùm à Logica.

Et quia Actus Logicæ Docentis & vtentis sunt sub eadem Ratione Formali, & vnus sine nova difficultate oritur ex alio, ideo etiam constituunt vnum habitum reliter & formaliter, consequenter Logica Docens & vtens non distinguntur realiter Entitativè, nec formaliter realiter, sed solùm Ratione ratiocinatâ.

III.

LOgicam Docentem ex eo, quòd sit habitus per Demonstrationem acquisitus esse Scientiam palam est: esse verò Artem tantùm impropriè, S: ratione directionis per regulas certas ad opus internum faciendum. Logicæ tamen

venti reduplicativè sumptæ ratio scientiæ non competit, bene verò sumptæ specificativè, seu intrinsecè, pariter ratio Artis ei nonnisi impropriè convenit, & per quandam similitudinem. Et quia in Logica vtroq; modo præmisso accepta quæritur ipsum scire propter seipsum, hoc est fuga ignorantiæ, Obiectumq; illius est speculabile, modus procedendi resolutivus, & sola intenditur cognitio veritatis, ideo illam pure & simpliciter asserimus esse Scientiam Speculativam, & duntaxat Analogicè Practicam. Eandem dicimus esse vnam Specie Athomâ, vt potè quia omnia tractata in illa habent vnum gradum immaterialitatis & scibilitatis. Entia enim Rationis omnia, quæ hîc tractantur conveniunt in eo, quòd non habeant vllam Materiam.

IV.

DAtur Ens Rationis strictè sumptum distinctum à reali, quia datur Ens, quod tantùm habet Esse Obiectivè in intellectu, defacto enim intellectus concipit distinctionem inter extrema, realiter non distincta, vt inter Naturam Divinam & animal & rationale Petri, privationem lucis, ac si esset aliqua Qualitas positiva, hymæram, ac si esset aliquid. Vnde cùm detur Causa Entis huiusmodi hoc est intellectus, debet dari & ipsum Ens Rationis, tanquam effectus eius æquivocus.

Quod quidem Ens Rationis non consistit in denominatione Extrinseca, quia hæc est realis, vt denominatio cogniti vel visi: neq; in aggregato ex Extremis realibus & cognitione intellectûs falsò talia Extrema adunante: quia Extrema illa, & cognitio, illa vniens, Entitativè sumpta, sunt quid reale: neq; in aliquo realiter impossibili, quod concipitur vt possibile realiter, seu vt aliquid realiter existens: quia vt intellectus in exercitio fingat, non requiritur, quòd semper apprehendat vt reale illud, quod fictitiè concipit, sed sufficit, vt concipiat cum existentia obiectiva aliquid, cui repugnat realiter existere, si quando intellectus apprehendit Deum vt relatum ad creaturas, non concipit Deo advenire aliquam relationem realem, aliàs in secunda operatione Intellectus formaret hoc judicium falsum: Deus est realiter ordinatus ad Creaturas.

Unde essentia Entis Rationis consistit in esse quodam fictitio & Metaphorico ab intellectu conceptibili admodum Entis realis. Quia per tale esse adæquate distinguitur ab omni Ente reali, quod habet esse à parte rei saltim per non repugnantiam. Esse autem fictitium & Metaphoricum nullum potest habere Esse præter Obiectivè in intellectu: vnde non gratis ponitur in eius definitione ly tantum.

V.

ENs Rationis dividitur primò; quòd aliud sit cum fundamento in re, quia multæ res invitant, vt cognoscantur cognitione, adquam consequitur Ens Rationis: Sæpe enim res vna habet operationes diversas, adeoque invitat intellectum ad eas cognoscendas vt diversas: vt patet in animali & rationali in Petro, quæ intellectus distinguit: & inquibus ex parte Obiecti potest reddi ratio, cur sic & non aliter cognoscantur. Aliud sine fundamento in re; quia intellectus nullâ occasione acceptâ à rebus pro libitu fingit Hircocervum.

Dividitur secundò Ens Rationis in Negationem, Privationem & Relationem: Quia licèt prædicta in suo conceptu non sunt Entia realia, concipiuntur tamen instar Entium, seu formarum positivarum realium.

Porro ad cognitionem quidditativam & distinctam Entis Rationis sufficit, quòd cognoscatur qer Speciem Entis realis: quia Species Entis realis est quædam similitudo superior & eminentialis, respectu Entis Rationis, & continet ipsum in Esse repræsentativo, quod ad perfectam cognitionem eius sufficit, sicut sufficit ad quidditativam & distinctam cognitionem Creaturarum essentia Divina determinans per modum Speciei impressæ intellectum Beati, vt pote, quia est similitudo eminens, & modo superiori continens perfectiones difficiles omnium Creaturarum. Tum quia Privationes cûm sint non Entia, tamen quidditatiuè & distinctè cognoscuntur per speciem formæ, cui opponuntur, & quâ privant subiectum. Ergo magis Ens rationis per speciem Entis realis potest cognosci, cuius est vmbra.

Licet autem Ens Rationis cognoscatur per Speciem sui fundamenti, tamen

vt est

vt eſt proximè fundatum in rebus, non poteſt exiſtere formaliter per exiſtentiam formalem ſui fundamenti, quia ſic non eſſet quid fictitium habens Eſſe Obiectivè tantùm in intellectu: haberet enim exiſtentiam realem ſui fundamenti: quidquid autem exiſtit per exiſtentiam realem, exiſtit realiter, & eſt Ens reale, ſicut quidquid exiſtit per exiſtentiam ſubſtantialem. exiſtit per ſe, & ſubſtantialiter.

VI.

VOluntas non poteſt formare Ens Rationis; quia non poteſt illi communicare aliquàm exiſtentiam Obiectivam intrinſecam, cognoſcendo S: non Ens adinſtar Entis: Licet enim voluntas tendat in non bonum vt bonum, non eſt ipſa, quæ in non bono fingit rationem boni, ſed intellectus, iuxta illud: Nihil eſt volitum, niſi cognitum.

Similiter & ſenſus tam Interni quàm Externi non poſſunt facere Entia Rationis: quia ad hoc requiritur Actus Comparativus & Collativus vnius cum alio, quibus Actibus ſenſus omnino carent; non enim ſenſus ratione ſuæ imperfectionis poſſunt diſcurrere & inferre vnum ex alio, aut ſe reflectere ſupra ſe. Tum quià obiectum ſensùs eſt ſenſibile & reale, Ens autem Rationis eſt intelligibile & habens eſſe tantùm Obiectivè in ratione. Reſtat ergo à ſolo intellectu formari Ens Rationis: quia ille ſolus eſt potentia Collativa ſeu comparativa vnius cum alio.

Cæterum hoc non eſt intelligendum de intellectu Divino: qui licèt cognoſcat Speculativè Entia Rationis facta ab intellectu noſtro; tamen ob ſummam perfectionem non poteſt illa formare Practicè; quia ille rem concipit vt eſt in ſe ſine vlla fictione, ſtante conformitate ſummâ conceptûs eius cum obiecto; alias enim cognoſceret imperfectè; Ens verò rationis fit tunc, quando concipitur res aliter, ac eſt in ſe, hoc eſt non Ens adinſtar Entis, quod omnino Divino intellectui repugnat.

Tum quia ſi Deus efficeret Ens Rationis, per hoc præcisè, quod illud cognoſceret, ſequeretur Deum ab æterno feciſſe omnia Entia Rationis, quæ factibilia ſunt ab intellectu creato. Atqui hoc implicat. Tum quia ſequeretur, dari ab æterno infinita Entia Rationis in Actu, quia Entia Rationis factibilia à nobis & cognita à Deo ſunt infinita, quod eſt inconveniens, non minus ac dari infinita Entia realia Actu.

An autem Angelus formet Entia Rationis, Problema eſto. Verùm ab homine formari poſſe Entia Rationis, tam per primam, quàm per Secundam & Tertiam Mentis operationem clarum eſt. Quia ſic per omnes tres operationes Ens rationis poteſt habere eſſe obiectivè tantum in intellectu.

VII.

OBiectum Formale, Adæquatum, Attributionis, Totale Logicæ eſt Ens Rationis, vt directivum Actuum intellectûs & Relativum Logicæ ſeu qoòd aliter dicitur ſecunda Intentio in concreto, poteſtq; dici modus ſciendi obiectivus latè ſumptus. Quia Obiectum Logicæ ſunt inſtrumenta ſciendi pro formali: ſunt enim forma Materiæ, circa quam verſatur Logica: inſtrumenta verò ſciendi, ſunt modus ſciendi, S: Genus, Species, Subiectum, Prædicatum, Maior & Minor Extremitas, Definitio, Diviſio, Argumentatio &c. quæ omnia pro formali ſunt Entia Rationis. Quia Genus v. g. non datur à parte rei (ſimilis de alijs ratio) proformali ſumptum, ſed tantum habet Eſſe obiectivè in intellectu, vt pote, cum ſit vniverſale. Univerſale verò formaliter non datur à parte rei cùm quidquid exiſtit à parte rei ſit ſingulare. Tum quia Enti rationis taliter ſumpto competunt omnes conditiones Obiecti Formalis, Adæquati, Attributionis.

Unde operationes intellectûs vel quatenus dirigibiles, vel quatenus directæ, ſunt tantùm Obiectum Materiale Logicæ. Quia non attinguntur per ſe & ratione ſui ab illa, ſed tantùm ratione formæ Logicæ, in illas medijs regulis Logicis introducendæ vel introductæ. Similiter intelligendum eſt de rebus, vocibus, & alijs Obiectis Materialibus.

Jnter omnia tamen Materialia Argumentatio eſt Obiectum principale Logicæ, quia cùm Logica ſit diſcurſiua, magis principaliter videtur intendere Argumentationem. Et cùm inter ſpecies Argumentationis, Demonſtratio primarium locum teneat, concedendum eſt Demonſtrationem eſſe Obiectum principaliſſimum in Logica.

 EX TRA-

Ex Tractatu De Universalibus In Communi Et Particulari.

VIII.

VNiversale pro formali, sive in essendo, quod est vnum aptum in esse multis, sive in prædicando, quod est vnum aptum prædicari de multis, non datur à parte rei, vt separatum à singularibus, vt Plato somniabat. Tum quia Vniversale potest prædicari de singularibus, sed nihil realiter separatum ab aliquo potest ab illo prædicari quia nihil verè Affirmativè prædicatur de altero, nisi sit idem realiter cum illo, consequenter non Vniversale separatum. Tum quia implicat Naturam creatam esse realiter vnam, & realiter identificatam cum pluribus, sed Vniversale & Natura realiter vna cum pluribus identificata, cùm sit vnum in multis, igitur implicat realiter esse vniversalem. Tum quia repugnat Ens Positivum, æternum & improductum, distinctum à Deo; Natura verò v. g. humana est Ens positivum distinctum à Deo.

Dantur tamen in rebus Naturæ vniuersales, seu quæ possunt denominari vniversales: quia scientiæ reales sunt de rebus, Obiecta verò Scientiarum sunt vniversalia, consequenter dantur vniversalia in rebus. Tum quia cùm homo de Petro & Paulo prædicatur, non prædicatur vox, sed res significata per vocem, adeoq; natura Communis Petro & Paulo.

IX.

DIstinctio, quæ positivè est alietas vnius ab alio: Negativè ratio formalis, vi cuius vnum, non est idem cum alio, adæquate dividitur in Distinctionem realem & Rationis, & hæ deinde in suas Species: quia nulla distinctio reperiri potest, quæ non revocetur ad hanc Divisionem.

Unde non datur Distinctio quasi media Scotistica formalis ex natura rei appellata, per quam S: ante omnem operationem intellectûs formalitas distinguatur ab alia formalitate sibi realiter identificata: quia hæc Distinctio, & esset minor distinctione reali simpliciter, vt dicunt sui Authores, & non esset minor: Tum quia vtrumq; extremum illius existit, & vnum non est aliud ante omnem operationem intellectûs, quod ipsum dicit quæcunq; distinctio realis. Tum quia de istis formalitatibus verificantur duo realia Prædicata Contradictoria simpliciter distincta esse & non esse aliquid, seu aliud quid, quæ omnino invehunt distinctionem simpliciter realem, quia invehunt distinctam realiter Entitatem: nam omnis distinctio realis fundatur in Entitate reali, vt pote, cùm sit eius proprietas Metaphysica.

Animal ergo & rationale Petri, & alij Gradus Metaphysici distinguuntur virtualiter, quia licet ista sint realiter identificata, vnaq; & eadem res, æquivalent tamen pluribus in exercendo diversa munia. Imò patet distinctionem rationis ratiocinatæ habentem pro fundamento distinctionem virtualem fundamentalem inter animal & rationale sufficere, vt de animali ante operationem intellectûs verificetur esse rationem conveniendi cum equo, & de rationali non esse rationem conveniendi cum equo. quia illa Prædicata licet alias sint Contradictoria, in præsenti tamen non sunt contradictoria, vt pote, quia non sunt eiusdem de eodem, sed de diversis virtualiter id est de animali vt conceptibili conceptu repræsentante hanc naturam per ordinem ad sensationem & de rationalitate, vt conceptibili conceptu repræsentante eandem naturam per ordinem ad discursum.

Similiter negamus dari Distinctionem virtualem Intrinsecam distinctam à fundamentali, aut æquivalentia vnius ad plura, & sumptam pro capacitate intrinseca vnius & eiusdem rei, ad suscipienda realiter Prædicata ex se contradictoria. Quia implicat talis Distinctio: implicat enim vt Prædicatum realiter identificatum subiecto, realiter affirmetur & negetur de eodem: nam sic involvuntur Extrema Contradictionis de eodem, hoc est esse & non Esse.

X.

DAntur Præcisiones Obiectivæ inter Prædicata realiter identificata. Ratio ex hoc argumento Thomistico: Quia præcisio Obiectiva est cognitio vnius formalitatis sine cognitione alterius; Talis autem cognitio omnino datur: quia cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito principio ratiocinandi: ... principium sentiendi in homine est formalitas identificata cum principio

ratioci-

ratiotinandi. Ergo datur cognitio vnius formalitatis sinè cognitione alterius identificatæ cum ipsa: quia non cognità ratiotinatione non cognoscitur principium ratiotinandi. sed cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognità ratiotinatione; igitur cognoscitur principium sentiendi in homine, non cognito principio ratiotinandi. Reliqua clara sunt. Maior ex eo constat quia cognosci nequit habitudo, non cognito termino habitudinis: at principium ratiotinandi est habitudo quædam ad ratiotinationem: Ergo non cognità ratiotinatione, non cognoscitur principium ratiotinandi.

Datur à parte rei vnitas formalis Negativa minor numericâ, adeoq; Natura secundùm se, est vna negativè. Quia sic vnicâ definitione definitur, quod verò taliter definitur, est aliquomodo vnum, saltim negativè.

Natura tamen secundùm se, non est vna vnitate formali Positivâ; id est Natura secundùm se ex parte obiecti, non habet vnitatem repugnantem pluralitati, licet ex parte actûs & ex modo cognoscendi habeat vnitatem, vi cuius non tam excluditur pluralitas quàm præscinditur ab illa. Quia quod convenit Naturæ secundùm se, in omni statu ei convenit. Sed Natura v. g. humana in statu Contractionis non est vna & indivisa, sed multiplex & plurificata, consequenter secundùm se non est vna. Naturæ enim secundùm se conveniunt tantùm Prædicata essentialia, sinè quibus in nullo statu potest intelligi, adeoq; quod convenit illi secundum se, debet illi secundùm, omnem statum convenire.

Multò magis Natura, vt à parte rei existit in singularibus, non est vna vnitate formali Positivâ: quia natura vt à parte rei existit in singularibus, est multiplex & divisa; nam in Petro & Paulo sunt duæ naturæ, cùm in Creatis vna & eadem natura non possit esse in pluribus; & ex consequenti si est multiplex & divisa in illis, non est vna.

Hinc Natura quæ denominatur vniversalis secundùm se considerata, est communis pluribus negativè: quia tunc nulli Indiuiduo est appropriata: vt potè, quia natura secundùm se, præscinditur ab Indiuiduis, & non est determinata ad aliquam singularitatem: alioquin sinè illa non posset concipi & apprehendi vt indifferens ad plures.

Eadem tamen Natura, quæ denominatur vniversalis secundùm se considerata, non est communis pluribus positivè. Quia quod convenit naturæ secundùm se, convenit illi in omni statu: Naturæ autem in statu Contractionis, non convenit Communitas positiva, consequenter, neq; communitas Positiva conueniet illi secundùm se; vt potè; quia natura in statu Contractionis iam est determinata ad hoc Individuum, neq; habet indifferentiam & aptitudinem ad essendum in pluribus. Iam autem naturæ secundùm se (iuxta dicta superius) solùm conveniunt Prædicata essentialia & illius propriæ passiones, quæ quidem conveniunt ei in omni statu, adeoq; quod convenit naturæ secundùm se, convenit illi in omni statu.

A fortiori, neq natura Creata in statu Contractionis est communis pluribus positivè; ac proinde naturæ, quæ denominantur vniversales, seclusâ operatione intellectûs, non sunt communes pluribus positivè, nec habent aptitudinem, ut salvâ earum vnitate sint in pluribus: quia cui repugnat Actus, repugnat potentia: sed Naturæ Creatæ in re existenti, repugnat esse in pluribus, consequenter Naturæ in re existenti, repugnat potentia, vt existat in pluribus. Tum quia Naturæ Petri repugnat existere in pluribus: Natura enim Petri in re est singularis, iam verò singulari repugnat Communitas & identificatio cum pluribus distinctis: quia alias daretur in Creatis Mysterium ineffabile Trinitatis.

Neq; etiam Natura, quæ denominatur vniversalis, est à parte rei communis pluribus negativè; quia Naturam esse Communem negativè, est illam nulli singulari esse appropriatam: Cæterùm, cùm nulla datur natura à parte rei, quæ alicui Individuo non sit appropriata, idcirco nulla datur à parte rei, quæ sit communis negativè.

XI.

VNiversale Metaphysicum, quod est fundamentum proximum Vniversalitatis Logicæ, causatur immediatè per abstractionem intellectûs possibilis, tam Positivam quàm Negativam. Quia per vtramq; abstractionem ponitur indifferentia Naturæ; vt potè, quia tunc cognoscitur sine differentijs, separatur enim

per abstractionem ab inferioribus, cum cognitione eorumdem, à quibus separatur.

Universale autem Logicum, fit per actum Comparativum Naturæ ad inferiora: Quia hoc consistit in respectu rationis, per quem natura refertur ad inferiora: qui quidem respectus rationis, resultat ex actu naturam taliter vel taliter comparante.

Peremptis singularibus, perimuntur vniversalia quoad essentiam positivè: Quia sic vniversalia amittunt suam essentiam actu: Actualis enim essentia Vniversalium est identificata singularibus; vnde S. Doctor ait: Vniversalia nihil esse, si pereant singularia.

Similiter Naturæ vniversales tolluntur quoad existentiam, si tollantur singularia: Quia Naturæ Universales, ita habent existentiam in singularibus, vt nullo modo sine illis existere possint, dicente Aristotele Cap: de Substantia: Sublatis substantijs primis, tolluntur secundæ.

Naturæ tamen Vniversales, sublatis singularibus non pereunt quoad veritatem Propositionum, seu connexionem Prædicatorum: quia istæ Propositiones homo est animal: Rosa est flos, sunt ab æterno veræ, quamvis tunc nec homo, nec rosa extiterint.

XII.

VNiversale est Genus ad quinque Prædicabilia: nimirum Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. Quia prædicatur de illis vt de pluribus specie differentibus.

Genus bene definitur sic: Est id quod prædicatur de pluribus Specie differentibus: Quia secundùm leges bonæ definitionis. Quæ definitio est essentialis, si ly prædicari, sumatur radicaliter fundamentaliter, seu pro aptitudine radicali ad prædicandum iuxta S. D: 4to. de Ente & essentia in fine: secus si sumatur formaliter, pro aptitudine proxima, seu relatione prædicandi: quia sic definitur per passionem vniversalis vt sic.

Definitum in definitione Generis, non est sola natura: quia Logicus agit de secundis Intentionibus adiunctis primis. Ergo ait de primis, seu de natura non absolutè, sed in ordine ad secundas; consequenter hîc non definitur sola natura; tum quia prædicari de pluribus, nullatenus convenit Naturæ secundùm se.

Neq; etiam hîc definitum est secunda Intentio: quia Accidens propriè & in Concreto, dicit habitudinem ad subiectum; Genus verò dicit secundam Intentionem in Concreto, consequenter secunda intentio importata per Genus, nequit definiri sinè habitudine ad subiectum seu naturam.

Neq; tandem definitum est aggregatum ex vtroq; ; quia sic est Ens per accidens: nam constat ex rebus diversorum Generum. Talia autem Entia iuxta Philosophum non possunt definiri vnicâ definitione. Definitum ergo Generis quidditativè vt quo, imò etiam vt quod, formaliter est secunda intentio. Natura autem est definitum Quod denominativè. Ratio primi: quia præsens definitio est Logicalis. Ergo definitum eius debet esse Secunda Intentio. Ergo hæc est definitum vt Quod, Ratio secundi: quia iuxta Caiet: prædicari de pluribus differentibus specie, alicui convenit secundùm essentiam: sed hoc non convenit Naturæ vt v. g. animali; Ergo conveniet secundæ intentioni. Ratio Minoris: quia animali non est essentiale dici de multis differentibus Specie, sed hoc ipsi accidit juxta statum, quem habet in intellectu: nam essentia ipsius est esse substantiam corpoream, animatam. Ratio Tertij: quia concretum Accidentale vt est Genus, ex modo significandi, importat principaliter substantiam v. g. Naturam, consequenter ex modo significandi, natura erit definitum vt quod denominativè.

Jn Genere non continentur actu differentiæ, quia conceptus Genericus est vnus & idem simpliciter, iam autem vni & eidem simpliciter nequeunt oppositæ rationes inesse: quales sunt Differentiæ.

XIII.

SPeciei Subiicibilis definitio, quòd sit illa: quæ sub assignato Genere collocatur: vel quòd sit subiectum, de quo Genus prædicatur in Quid, est bona. Quia est tradita à Porphyrio in ordine ad suum Correlativum, hoc est ad Genus: similiter definitio Speciei prædicabilis, S. quod sit id quod prædicatur de pluribus differentibus numero in Quid, est recta, quia habet leges bonæ Definitionis.

Prædi-

Prædicabilitas & Subiicibilitas in Specie, licèt videantur esse duo respectus; tamen sunt sibi subordinati & connexi. Quia vnus oritur ex alio, hoc est vniversalitas ex subijcibilitate. Undè subijcibilitas est formale & essentiale Constitutivum Speciei, prædicabilitas verò seu vniversalitas consequitur vt proprietas. Ratio: quia Porphyrius hîc priùs definiuit Speciem per conceptum Subijcibilitatis, quàm prædicabilitatis.

Species habens vnum tantùm Individuum, potest esse vniversalis: quia Natura Angelica v. g. Gabrielis. inadæqvatè concepta adinstar rerum Materialium, est propriè vniversalis etiam Logicè. Ratio ex S. D. q. vnica de Spiritualibus Creaturis Art: 4. ad 8. dicente: Sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa Individua, ex hoc, quòd est albedo, sed non ex hoc, quòd est in hoc, quod pertinet ad rationem ita Natura Angelica v. g Gabrielis, non prohibetur esse in multis, ex eo, quòd est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem Speciei, sed ex hoc, quod est nata recipi, in aliquo subiecto quod pertinet ad rationem Individui. Ergo secundùm D. Th: Natura Angelica, secundùm quod à nobis concipitur sine eo, quod pertinet ad rationem Individui, hoc est sine singularitate, non habet repugnantiam vt sit in multis, ac per consequens vniversalis. Ratio vlterior. Natura Angelica iuxta S. Th: v. g. Gabrielis, potest à nobis a singularitate præscindi, vt pote, quæ non est de conceptu specifico Naturæ Angelicæ; sed illa sic præcisa, est capax Intentionis vniversalitatis. Ergo Natura Angelica inadæquatè concepta potest denominari vniversalis & Prædicabilis.

XIV,

Licèt Species salvetur in vnico Individuo, ut patet in Natura Angelica; tamen Genus non potest salvari. Quia existente vnâ specie debet esse & alia: nam Genus dividitur per oppositas differentias, quæ simul cum genere constituunt speciem; iam autem si vnum Contrariorum est in rerum Natura, debet dari & aliud iuxta Philosophum.

Definitiones Individui traditæ à Porphyrio sunt bonæ: Quia omnibus contentis sub Individuo conveniunt; sunt tamen descriptivæ; quia traduntur per proprietates.

Differentia bene dividitur in Communem, Propriam & Proprijssimam. Si tamen sumatur primòintentionaliter, est divisio Analogi in Analogata, propter inæqualem differendi rationem.

Proprijssima Differentia constituit Tertium Prædicabile, definiturq; sic rectè: Est vnum aptum inesse multis, & prædicari de illis in Quale quid incompletè, Quia per hanc definitionem ostenditur, quomodo conveniat & differat ab alijs vniversalibus differentia.

Porro hæc non constituitur vniversalis per respectum ad speciem, sed per respectum ad inferiora Speciei. vt rationale, non constituitur vniuersale per respectum ad hominem in Communi, sed per respectum ad Petrum & Paulum.

Proprium Quarto modo sumptum est, quod convenit omni, soli, & semper, & sic definitur primòintentionaliter, iam verò secundointentionaliter sumptum, est id, quod prædicatur de pluribus in quale Accidentaliter, necessariò, & convertibiliter. Definitio est bona, quia habet leges bonæ definitionis.

Constituitur autem Proprium in ratione vniversalis per respectum ad inferiora Speciei, v. g. risibile respectu Individuorum speciei humanæ Petri, Pauli, Ioannis &c. Quia de illis prædicatur in Quale necessariò, tanquam de suis inferioribus.

Accidens bene definitur esse id, quod possit adesse & abesse à subiecto, præter subiecti corruptionem. ly adesse & abesse hîc sumitur pro formaliter affirmari vel negari. convenire, vel non convenire. ly præter subiecti corruptionem intelligitur de corruptione Metaphysica, & quantùm ad essentiam. Unde ex Caiet: istius definitionis talis sensus est; Accidens est cuius nec affirmatio, nec negatio subiecti essentiam ponit, seu quod est prædicabile de multis contingenter.

Accidens in ratione Vniversalis constituitur per ordinem ad inferiora Speciei: Quia respectu horum, tanquam suorum subiectorum est superius.

Ex Tractatu Cathegoriarum.

XV.

Rectè ab Aristotele assignantur Definitiones. Univocorum, Æquivocorum, & Denominativorum, & præter hæc dantur Analoga tanquam omnino media

B2 inter

inter Æquivoca. Similiter duæ Divisiones & duæ Regulæ *Rerum* & vocum: quia hæc omnia ex Communi Logicorum consensu ad intelligendas Cathegorias sunt necessaria.

Definitio Prædicamenti ab Aristotele tradita est bona, S. quòd sit quidditativa Prædicabilium coordinatio, secundum sub & supra. Dividiturq; Prædicamentum in decem Coordinationes Particulares seu in decem partes Entis, sive summa Genera hoc Disticho expressa: Arbor sex, servos, fervore, refrigerat, vstos.

Ruri, cras, stabo, nec tunicatus ero.

Ut autem aliquid ponatur in Prædicementis requirit hæc, quæ in subiecto versu explicantur:

Uox vna & simplex, rebus concinna locandis,
Entia per sese, finita, realia, tota.

E Contra reijciuntur à serie Prædicamentorum hæc sequentia:

Complexum, consignificans, fictum. Polysænum
Ens Logicæ, Deus, excedens, privatio, parsq;.

Ratio formalis Substantiæ, est esse per se essentialiter, nominaliter seu aptitudinaliter. Ratio: Quia esse per se, est radix & principium emanationis proprietatum Substantiæ: quia per esse per se tanquam per Causam demonstrantur proprietates illius: ideo enim Substantia substat Accidentibus, quod sit Ens per se subsistens. & ideo non est in alio, quod sit Ens per se, vt pote, quia negatio præsupponit aliquid Positivum. Tum quia oppositorum est eadem ratio. sed Accidentis ratio formalis Constitutiva est inhærentia, eaq; aptitudinalis, Ergo etiam ratio formalis substantiæ erit esse per se aptitudinaliter seu Nominaliter.

Et licet substantiæ secundæ insint primis, tamen sunt Entia per se existentia; quia substantiæ secundæ, non sunt in primis inhæsivè, sed per modum Prædicatorum essentialium.

Substantia est prior Accidentibus non modò definitione, sed etiam cognitione & tempore. Ratio primi: quia Accidentia definiuntur per substantiam; dicunt enim essentialem ordinem ad illam. Unde si definiatur Accidens sive in Concreto sive in abstracto, semper in illius definitione involuitur substantia, vt simitas est curvitas nasi, & simum est curvus nasus. Ratio secundi: Quia ita se habet cognosci in intellectu, sicut se habet esse: prius autem est esse substantiæ quam Accidentium, quia illa est Ens per se, & independens ab alio in esse: Accidentia verò dependent à substantia, vnde etiam dicuntur Entis Entia, Entia secundùm quid, & mensurantur per substantiam. Ratio 3tij: quia datur aliqua substantia, quæ est prior omnibus Accidentibus, nimirum DEUS Gloriosus.

Porro licet in Prædicamento substantiæ ponantur directè omnes substantiæ corporeæ, completæ, corruptibiles vt homo, bos, & incorruptibiles; vt cæli: similiter & incorporeæ, creatæ & finitæ vt Angeli. tamen Deus nullatenus ponitur in illo. Ratio: Quia non constat Genere & differentia; quod enim constat Genere & differentia, componitur ex Actu & potentia, cùm genus sit gradus potentialis & differentia gradus Actualis; Deus autem, vt pote purissimus & simplicissimus Actus nequaquam componi potest hoc modo.

Christus tamen Dominus directè in hoc Prædicamento collocatur, tanquam homo, aut Naturæ humanæ Individuum: quia vt homo; est eiusdem rationis & Naturæ cum alijs: adeoq; sicut illi ponuntur, ita & ipse.

XVI.

RAtio formalis Quantitatis consistit in extensione partium in ordine ad se. Quia ista ratio extensionis est effectus primarius quantitatis, eiq; vt subiecto communicatæ est intimior, & quo posito alij sequvntur: iste enim est effectus indivisus & inseparabilis à quantitate. è contra omnes alij veluti extensio partium in ordine ad locum, impenetrabilitas partium inter se, divisibilitas proxima, mensurabilitas tam Activa, quàm passiva, sicut consequvntur extensionem partium in ordine ad se; ita à quantitate sunt separabiles; vt patet in Eucharistia, vel in miraculosa corporum sæpe factà penetratione. Unde definitur essentialiter Quantitas: quòd sit Accidens extensivum substantiæ in ordine ad se; Estq; distincta à substantia, quia saltim supernaturaliter possunt separari, vt patet in Mysterio Sanctissimæ Eucharistiæ.

Porro

Porro licet substantia ex se, & antecedenter ad Quantitatem, non habet partes extensas in toto, nec quoad locum, quia S. D. docet, effectum primarium Quantitatis esse ordinem partium in toto: tamen substantia affecta Quantitate, non est tota sub tota quantitate, & tota sub qualibet eius parte; sed præter partes Quantitatis habet proprias substantialiter & Entitativè distinctas, ratione quarum ita est tota sub tota Quantitate, vt partes illius sint sub partibus Quantitatis. Ratio quia substantia pedis, non est substantia capitis, adeoq; substantia hominis habet partes Entitativè distinctas, substantia enim pedis est realiter separabilis à substantia capitis, consequenter distincta.

Imò Substantia Materialis ex se, & antecedenter ad Quantitatem habet partes realiter inter se distinctas. Ratio ex D. Th: 1. 2. q. 17. Art. 4. in Corpore dicente: Totum in genere, substantiæ compositum ex suis partibus vel integralibus vel essentialibus est vnum simpliciter. Ergo partes Integrales totius substantialis, non sunt in genere Quantitatis, sed in genere substantiæ: quia ex substantia & accidenti non fit vnum per se.

Dividitur Quantitas in Continuam & Discretam. Vnivocè, & tanquam Genus in species: quia hîc dividitur ratio Communis & Generica per differentias essentiales.

Linea, superficies, & Corpus, sunt veræ species Quantitatis Continuæ. quia participant rationem Communem Generis contractam per suas proprias differentias, S. extensionem partium Communi Termino copulatarum. secus dicendum est de Loco, Motu, & Tempore.

Pariter Numerus est vera Species Quantitatis Discretæ, non verò Oratio.

Unitas Prædicamentalis addit aliquid supra Quantitatem Continuam reale & positivum. Ratio ex S. D. quodlib: 10. a. 1. dicente: vnum, quod est principium Numeri de necessitate aliquid positivè dicit in eo, cui attribuitur.

XVII.

PRædicamentum Relationis ordine doctrinæ bene præmisit Aristoteles ante Qualitatem: quod quidem definitur sic: Est accidens reale, cuius totum Esse est ad aliud se habere, hoc est, quod in Relatione præter illam rationem communem In, additur ratio propria & peculiaris ipsi nimirum Ad, quæ consistit in puro respectu. Cùm autem dicitur, relatio est accidens, datur intelligi, quòd non habeant locum in hac Cathegoria relationes Divinæ, quæ non sunt accidentia, quia in Deo nullum est Accidens. Cùm dicitur reale, excluduntur relationes rationis, quia in Cathegorys reponuntur tantùm Entia realia. Reliquæ autem Particulæ, excludunt relationes Transcendentales & secundùm Dici, quarum totum esse, non est ad aliud se habere, sed est quædam Entitas absoluta, quæ in secundario conceptu includit ordinem ad aliud, in quantum est alterius.

Conditiones requisitæ ad relationem Prædicamentalem sunt 4. 1ma. quòd habeat subiectum reale: accidens enim reale qualis est relatio, exigit etiam subiectum reale. 2. Ut habeat rationem fundandi seu fundamentum reale: quia fundamentum est veluti Causa relationis, cùmq; effectus realis exigat Causam realem, vt relatio sit realis, fundamentum eius debet esse reale. 3. Ut habeat Terminum realem, quia cùm relatio tota consistat in ordine ad suum Terminum, vt talis ordo resultet, necesse est, vt realiter ponatur terminus. 4. Ut extrema, id est fundamentum & Terminus realiter distingvantur, quia non datur relatio eiusdem ad seipsum. Tria autem sunt Genera fundamentorum Relationis, S. vnitas, & numerus, Actio & Passio, mensura & mensurabile.

Porro Relatio Prædicamentalis realiter distingvitur à suo fundamento: Quia Entitas fundamenti, non est re ipsâ idem cum entitate relationis: Entitas enim relationis, est purus ordo seu respectus, cuius totum esse est ad aliud se habere; Entitas autem fundamenti est quid absolutum in re. Tum quia Entitas fundamenti potest manere pereunte Entitate relationis, nam mortuo Filio, perit respectus Paternitatis, manet tamen Entitas fundamenti.

Relatio secundùm Divisiones Fundamentorum divisa in Mutuam & non Mutuam, diverso se modo habet: Quia relatio mutua terminatur formaliter ad aliquid relativum: quia iuxta D. Th: 1. p. q. 40. Art: 2. ad 4. terminatur ad Correlativum, quod non est prius, sed simul naturâ, vt Pater terminatur ad Filium, non vt homo

homo est, sed vt Filius. Relatio verò non Mutua, terminatur ad aliquid absolutum, iuxta D. Th: q. 9 de potentia Art: 8. dicentem: relativa illa, in quibus non est eadem ratio referendi ex vtraq; parte, non sunt simul naturâ, sed alterum est prius naturaliter. Atqui relatio ex parte Termini non est prior naturâ relatione ex parte fundamenti, consequenter relativa, in quibus non est eadem ratio referendi ex vtraq; parte, S. non mutua, non terminantur ad relativum formaliter.

Unitas Specifica relationis desumitur à fundamento simul & termino: diversitas verò desumitur ex diversitate vel fundamenti vel Termini, ita vt variato alterutro varietur relatio. Ratio Primi: Quia ab eodem res desumit vnitatem Specificam, à quo desumit & esse, cùm Ens & vnum convertantur: iam autem Relatio, desumit suum esse à fundamento simul & termino, vt patet: consequenter & vnitatem specificam. Ratio secundi: Nam bonum desumitur ex integra Causa, malum ex quocunq; defectu. Sed vnitas specifica est quoddam bonum, Divisio verò habet quasi rationem mali, consequenter sicut vnitas specifica desumitur ab vnitate fundamenti & termini, ita diversitas à diversitate alterutrius.

XVIII.

DEfinitio Qualitatis data à Philosopho est hæc: Qualitas est, secundùm quam dicimur esse quales: & est bona, licèt descriptiva. Ratio. Quia licèt Aristot: Qualitatem non definiverit per ea, quæ sunt priora & notiora secundùm se, S. Secundùm principia intrinseca, tamen definivit eam per ea, quæ sunt priora & notiora secundùm nos, S. per effectum, quòd Qualitas faciat qualificatum subiectum. Neq; hæc definitio est nugatoria, quia datur per effectum formalem.

Exactius tamen S. D. definivit Qualitatem sic: Est dispositio substantiæ, seu accidens dispositivum substantiæ, & clariùs 1. 2. q. 49. Art. 1. Qualitas est accidens imponens modum substantiæ. seu modificativum substantiæ. Et hæc definitio exprimit rationem formalem Qualitatis. Ratio. Quia in ea omnes species qualitatis conveniunt, & ab alijs Generibus differunt. Omnes enim species Qualitatis disponunt substantiam suo modo. Tum quia nullum accidens potest disponere in seipso substantiam, non enim disponit substantiam Quantitas, quia hæc disponit partes materiales illas extendendo vel ad se, vel ad locum: non disponit relatio, quia hæc tantùm refert substantiam ad aliud. Et sic de reliquis intelligendum.

Rectè enumerantur ab Arist 4. Species Qualitatis. S. habitus & Dispositio Naturalis potentia & impotentia, Passio & Passibilis Qualitas, Forma & Figura. estq; vnivoca Divisio, patet ex communi doctrina.

Reliqua sex Prædicamenta habent quoq; suas rationes formales. Quia Actio est accidens, per quod res constituitur Actu producens: Passio verò est Accidens, per quod res constituitur Actu recipiens: & distingvuntur realiter. Quia sunt in distinctis realiter subiectis, Actio in Agente. Passio in patiente. Vbi est accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci. Quando est accidens, in re durante ex adiacentia temporis, à quo rei illius duratio mensuratur, relictum. Situs est Accidens quoddam seu modus intrinsecus, disponens partes rei locatæ in ordine ad locum. Habitus est accidens resultans in subiecto vestito ex adiacentia indumenti. Definitiones datæ sunt bonæ, quia habent leges bonæ Definitionis.

Neq; istæ Cathegoriæ sunt denominationes extrinsecæ, quia constituunt distincta Genera Entis, & aliquid ponunt intrinsecum in rebus; neq; sunt Entitates relativæ, quia non consistunt in esse Ad, sicut relatio, alioquin pertinerent ad Cathegoriam Relationis.

Postprædicamentum, quod est quoddam Complementum doctrinæ Prædicamentalis, dividitur in quinq; membra seu Postprædicamenta. S. in Oppositionem, Prius, Simul, Motum & Habere.

Ex Tractatu in Libros Perihermenias, & Prioris ac Posterioris Analysis, tum quoq; Topicorum & Sophisticorum.

XIX.

PRopositio essentialiter definitur sic: Est Oratio enuntians vnum de alio. Descriptivè autem sic: Est Oratio verum vel falsum significans. Partes ipsius sunt Nomen &

Verbum

Verbum, ſeu ſubiectum Prædicatum & Copula. Propoſitio mentalis, (quæ eſt propriè talis, ſecus vocalis & ſcripta) dividitur præter alias diviſiones in affirmantem & negantem vnivocè, habetq; proprietates tres. Oppoſitionem, Æquipollentiam, & Converſionem.

Eadem Enuntiatio Mentalis, eſt vna ſimplex Qualitas. Quia eſt conceptus repræſentans vnionem Prædicati cum ſubiecto factam per vnum actum iudicij.

Propoſitiones Contradictoriæ de futuro contingenti ante determinationem Cauſæ, non ſunt determinatè veræ vel falſæ, ſed ſunt indifferentes ad vtrumq;. Quia non ſunt conformes ſuo obiecto: nam Propoſitio de futuro contingenti aliter non poteſt eſſe conformis vel difformis ſuo Obiecto, niſi quòd illud Obiectum ſeu res ſit determinatè futura: jam autem ante omnem Cauſæ determinationem res ſeu effectus contingentes, nec ſunt determinatè futuri, nec non futuri, aliàs ſi ante determinationem Cauſæ res aut effectus contingentes eſſent futuri, eſſent neceſſarij, quia haberent fore à ſe & ex natura ſua, quod implicat.

Diſcurſus pro formali dicit motum intellectus de vna cognitione in aliam: quia ex natura ſua & ex vi vocis, eſt actus intellectûs colligens ſeu cognoſcens ſeu inferens vnum ex alio: ex præſuppoſito enim judicio Enuntiativo, deſcendit & quaſi movetur in alterum judicium illativum: talis autem actus intellectûs, eſt quidam motus. Unde bene definitur, quòd ſit Oratio, in qua vnum ex alio infertur; ſitq; ſemper cum pluralitate cognitionum: neq; invenitur in intellectu Divino & Angelico, quia tantùm provenit ex imperfectione intellectûs noſtri, qui vno intuitu nequit cognoſcere & coadunare plures cognitiones; vnde cogitur cognoſcere per quandam ſucceſſionem vnius ad aliud, quod Deo & Angelis non competit.

Dividitur Diſcurſus in Conſequentiam, & Argumentationem: Argumentatio ſubdividitur in Conditionalem, Rationalem, & Cauſalem. Rationalis deinde in ſyllogiſmum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum, quibus addi ſolent Dilemma ſeu ſyllogiſmus Cornutus, Sorites, ſeu coacervatio, quæ procedit ab imis ad ſumma, ac violatio ſeu converſio, ſeu retorſio argumenti in adverſarium.

Porro ſyllogiſmus nobiliſſima Species argumentationis definitur ſic. Eſt oratio in qua quibuſdam poſitis, aliud quidpiam ab his, quæ poſita ſunt neceſſario ſequitur, eò, quòd hæc ſint: qui quidem ratione Materiæ, dividitur in Terminos & Propoſitiones, jam verò ratione formæ in tres Figuras, quarum ſingulæ habent ſuos modos, vti docetur in Logica Præceptiva.

Axioma Ariſtotelis hoc: omnis doctrina & diſciplina fit ex præexiſtenti cognitione: intelligitur de omni & ſola diſcurſiva cognitione. Quia ſola diſcurſiva poteſt appellari doctrina & diſciplina; ſola enim illa prout Docens activè alios, dicitur doctrina, prout paſſivè recepta in alijs, dicitur diſciplina, & ſola aliquod ignotum deducit formaliter ex notiori juxta D. Thomam.

Tria ſunt Præcognita ſeu Principia Poſterioriſtica, S. ſubiectum Principium & Paſſio: Quia hæc tria ante Concluſionem debent præcognoſci, S. ſubiectum de quo paſſio probatur. Præmiſſæ ſeu principium, per quod probatur, & ipſa Paſſio probata. Duæ verò ſunt Præcognitiones: S. An, & quid ſit, in quibus aliæ continentur.

Aſſenſus Concluſionis debet ſimul ſaltim virtualiter tangere præmiſſas, non tamen vtrumq; formaliter vt Quod. Ratio Primi: Quia aſſenſus Concluſionis vt Concluſionis formaliter tangit ipſam, vt dependentem à præmiſſis. Ergo ſaltim virtualiter tangit præmiſſas. Ratio ſecundi: Quia nequeunt duo ſimul attingi ab intellectu iuxta D. Th. niſi ordinentur per modum vnius, iam autem præmiſſæ & Concluſio, nequeunt ordinari per modum vnius, niſi vnum ſe habeat vt Quòd, aliud, vt Quo.

Aſſenſus præmiſſarum effectivè concurrit ad aſſenſum Concluſionis. Ratio ex D. Th. Quia præmiſſæ virtualiter præcontinent Concluſionem, ſicut Cauſæ Naturales ſuos effectus. ſed iſtæ quia virtualiter præcontinent ſuos effectus, effectivè concurrunt ad illos. Ergo quia præmiſſæ virtualiter præcontinent Concluſionem, effectivè concurrunt ad aſſenſum illius.

Unde ſtante aſſenſu præmiſſarum, intellectus per ſe & directè, neceſſitatur quoad exercitium ad aſſenſum Concluſionis: quia taliter non poteſt actus ille ſuſpendi, vt pote, qui non ſubeſt imperio voluntatis. quia ita ſe habet intellectus cum aſſenſu præmiſſarum, ad aſſenſum Concluſionis, ſicut oculus apertus & illuminatus ad viſionem obiecti præſentis; hoc autem ſecundo caſu, viſio non ſubeſt imperio voluntatis; quia imperium voluntatis non conſiſtit in poſſe impedire hoc, quod ſequitur naturaliter ad aliquam actionem vel applicationem, ſed in poſſe apponere vel non apponere impedimentum ad eandem actionem vel applicationem.

Optimæ ſunt definitiones Demonſtrationis; 1ma quidem, quod Demonſtratio ſit ſyllogiſmus faciens ſcire; Quia traditur per cauſam finalem propriam. 2da verò quòd demonſtratio ſit ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus & prioribus, cauſiſq; Concluſionis. Quia datur per cauſam Intrinſecam: vnde quia Demonſtratio generat ſcientiam, debet conſtare ex veris &c. Cuius conditiones ſunt tres: S. de omni; per ſe, & quatenus ipſum: quia ſine illis non poteſt eſſe Demonſtratio.

Diviſio Demonſtrationis in Propter Quid, & Quia eſt: eſt bona & vnivoca. Quia vtraq; facit ſimpliciter ſcire. Quia aliquæ ſcientiæ per Demonſtrationem à poſteriori, ſeu Quia eſt, acquiſitæ, ſunt verè ſcientiæ.

Scientia habitualis eſt habitus certus & evidens per Demonſtrationem acquiſitus: actualis verò eſt cognitio rei per Cauſam, per quam res eſt, & quod illius ſit cauſa, & non contingit ſe aliter habere. Eſtq; ſcientia Habitualis vna ſimplex Qualitas. Quia ſecundùm D. Th. 1. 2. q. 54. art. 4. & alijs locis docentem, eſt ordinata ad aliquid vnum, & omnes Concluſiones cadunt ſub vnam rationem obiecti ſpecifici, formalis, ac vnitatem principiorum formalium, quatenus hæc cadunt ſub vnum genus ſcibilis, abſtractionis. Dividitur ſcientia comparatè & ratione dependentiæ, in Subalternantem & Subalternatam: Subalternatio ſcientiarum, conſiſtit in hoc, quod obiectum vnius contineatur, ſub obiecto alterius; & quòd ſubalternata, ſupra obiectum ſubalternantis, addat differentiam accidentalem; ad quæ deinde conſequitur mutuatio principiorum. Subalternata in abſentia ſubalternantis, eſt verè ſcientia nec ſubalternatio in illa deſtruit rationem ſcientiæ Quia ei etiam ſic ſumptæ competit ratio ſcientiæ. Diſtinguitur verò ſcientia, ab alijs Habitibus, tàm naturalibus, quàm ſupernaturalibus; quia ſortitur diverſam Definitionem eſſentialem ab illis. Unde cûm Intellectus, non poſſit aſſentiri certò & evidenter alicui Propoſitioni, & ſimul eidem aſſentiri incertò, formidoloſè ac inevidenter; ſcientia & opinio tam quò ad actum, quàm quò ad Habitum, in eodem Intellectu, de eodem obiecto, non poſſunt ſtare. Similiter incompatibilis eſt cum fide & errore.

Syllogiſmus Topicus probans Concluſionem per medium probabile, ſumitur ex his præcipuis Locis: S. Cauſis, effectibus, ſubiecto, adiunctis, contrarijs, ſimili, notatione nominis, Definitione, Diviſione, Teſtimonijs. Sophiſticus verò qui procedit ex apparenter veris; decipit, vel in forma vel in vocibus, vel in rebus; cuius doctrina datur fusè in Libris Elenchorum, non vt capiamus alios, ſed vt ſciamus captiones Sophiſtarum eludere.

DEO T. O. M. qui nec falli nec fallere poteſt, cultus Latriæ, Immaculatè Conceptæ Deiparæ Virgini, Hyperduliæ; SS. Ordinibus Duliæ, ſit in æternum.

SUB FELICISSIMO REGIMINE,

Magnifici, Perilluſtris, & Reverendiſſimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

I. V. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiarum Cathedralis Cracovienſis, & Vieſlunenſis Canonici, Archidiaconi SS. Omnium, Scholarum Novoduorſcianarum Proviſoris, Studij Almæ Vniuerſitatis Cracovienſis, Procancellarij, ac Generalis, & Vigilantiſſimi

RECTORIS,